

P. Raymundus Tellería (1903 -1966)

(Prov. Hispanicae)

P. Raymundus Tellería, e Provincia Hispanica, per duodetriginta annos domui nostrae generalitiae adscriptus, inopinate vita cessit die dominico 7 aug. 1966 hora postmeridiana, in Sabaudia, in domo rusticationis, ubi mane eiusdem diei missam cum homelia pro confratribus et vicinis celebraverat. Libenter hoc necrologium scripsimus pro periodico nostro, toti Congregationi destinato, ut apud omnes memoria servetur illius qui opus vere laudabile fecit in bonum totius Congregationis.



P. Raym. Tellería Totórica natus erat die 15 mart. 1903 in Orduña, dioecesis Victoriensis (Victoria), provinciae civilis de Burgos, in parte septentrionali Hispaniae. Hoc anno 1966 sexagesimum tertium annum suae aetatis compleverat.

Studiorum curriculum medium-classicum perfecit in Iuvenatu Provinciae Hispanicae, sito in El Espino. Et quidem magno cum profectu. Aspectum huius institutionis legimus in Necrologio Patris Roderici Bayón, ab ipso Patre Tellería composito (cfr. *Analecta C.SS.R.*, 1964, p. 67 sq.). Initio affirmat se hoc necrologium scripsisse ut in tardiore aetate debitum grati animi in adolescentia

contractum persolveret. Etenim in Iuvenatu vixit tempore quo P. Bayón ibidem lector fuit, necnon socius directoris et director. P. Tellería, describens modum agendi et docendi Patris Bayón, quaedam nobis narravit eorum quae tempore suae commorationis in hoc Iuvenatu eveniebant. Omnes sentiunt Patrem Tellería, olim discipulum Patris Bayón, in anima sua admirationem erga talem magistrum conservasse. Postremo Iuvenatus anno Conchae (Cuenca) fecit pro studio artis rhetoricae, sub ductu P. Retana. Ibi ut directorem Iuvenatus

habuit P. Roldan. Discipulus etiam ab his duobus magistris optimam formationem accepit. Ob bona studia facta in Iuvenatu, P. Tellería linguam latinam vere callebat, ut in diversis scriptis, hac lingua editis, probavit.

Anno 1919 Novitiatum nostri Instituti ingressus, vota temporaria die 26 aug. 1920 emisit. In studium Philosophiae, Theologiae dogmaticae et moralis incubuit in Studentatu de Astorga, ubi die 27 sept. 1925 sacerdotio auctus est, cum dispensatione super defectu aetatis mensium duodeviginti circiter.

Studiis praedictis absolutis, lector nominatus est in Iuvenatu Spinensi; quo munere per quattuor annos functus est. Et anno 1930 domui B.M.V. de Perpetuo Succursu in Madrid adscriptus est. Ibi per sex annos munus chronistae provincialis adimplevit.

Quod iam his annis propensionem in studia historica habebat, aperte monstravit. Etenim anno 1931 publici iuris fecit vitam S. Gerardi Maiellae (158 p.). - Secunda editio huius libri facta est anno 1950. Et haec biographia etiam prelo impressa est in México, anno 1949. - Anno 1933 alium librum edidit, cui inscriptio: *Un Instituto Misionero. La Congregación del SS.mo Redentor en el Segundo Centenario de su fundación* (589 p.). Anno 1932 in periodico « El Perpetuo Socorro » (Madrid) articulum scripsit: *El Misionero. Su formación segun S. Alfonso M. de Ligorio* (8 p.). Et anno 1935 articulum sat longum scripsit: *La Venerabile Sor María Celeste Crostarosa* (period. « La Vida Sobrenatural », Salamanca, 1935; 15 p.).

Editis iam studiis historicis supramemoratis, chronista Provinciae Hispanicae, ob circumstantias belli civilis Hispaniae, patriam reliquit et mense martio 1937 ut profugus in civitatem Bruxellensem (Belgium) advenit, una cum aliis, inter quos Rev. Dom. Iosephus Bueno y Monreal, futurus Cardinalis Hispanensis (Sevilla); qui, prout ipse P. Tellería narravit: « una mecum ex Hispania bolscevica profugus, exceptus fuit in domo nostra Bruxellensi (Bruxelles, rue Belliard, 28), ibique perquam fraterne tres menses moratus est atque enutritus » (cfr. *Analecta C.SS.R.*, 1964, p. 123).

Initio anni 1938 P. Tellería Romam profectus est, adscriptus domui generalitiae. Chronista huius domus notat: Die 25 ian. 1938 P. Tellería Romam advenit: Patrem Palombo adiuvabit in paranda editione critica operum asceticorum S. Alfonsi. Ita P. Tellería operam impendere incepit in rem quodammodo cum studiis antea factis concordantem. Haec editio italica operum asceticorum S. Alfonsi iam comprehendebat plura volumina, inde ab anno 1933 edita.

Mense octobris 1939 editum est novum volumen dictae seriei, videlicet: *Incarnazione, Eucaristia, Sacro Cuore di Gesù*. Huic volumini P. Tellería modo anonymo cooperatus est. Erat ultimum volumen editum ante bellum universale. Dein opus, ab aliis prosequendum, per viginti annos interruptum est. Attamen, iam ab hoc tempore P. Tellería schedulas et notulas praeparavit quae postea editionibus lingua hispanica faciendis servierunt. Re vera domus nostra editorialis Matritensis postea tria opera S. Alfonsi edidit cum introductione seu prologo ac notis criticis factis a P. Tellería. Sunt autem: *Preparación para la muerte ...* (a. 1953); *Del gran medio de la oración ...* (a. 1957); *Visitas al Santísimo Sacramento ...* (a. 1957). In hoc ultimo libro P. Tellería 27 paginas scripsit, cum titulo: *Ambientación de la Obra*.

Perdurante bello mundiali, P. Tellería, Romae remanens, ad hoc pervenit ut studia historica circa nostrum Institutum eiusque Fundatorem, antea bene inchoata, prosequeretur. Et ita opus principale totius vitae, ab omnibus Congregatis notum, paulatim praeparavit. Vita S. Alfonsi: *San Alfonso María de Ligorio, Fundador, Obispo y Doctor*, duo volumina complectens, et ultra 1900 paginas, edita annis 1950-51, laudes e diversis partibus accipere meruit. Non solum quia omnes anteriores vitas amplitudine superat, et permultis imaginibus bene selectis exornatur; sed etiam quia auctor ample usus est documentis nostri archivi romani, ac praesertim innumeris documentis aliorum archivorum. Auctor diuturno arduoque labore hoc magnificum monumentum litterarium erexit. Propterea grato nostro animo dignus est (cfr. *Analecta C.SS.R.*, 1951, p. 147). Ipse autem scripsit: Cogites velim non tam opus meum personale esse, quam obsequium Provinciae Hispanicae Patri nostro Fundatori (*Analecta C.SS.R.*, ibidem).

Haec vita S. Alfonsi non est facta ad modum synthesis; sed modo magis analytico procedit. Quod ipse P. Tellería non fecit, nec facere intendit, alii post eum, studiis ex ipsis fontibus amplificatis, quodam die praestare poterunt. Deinde, inspectis normis investigationis historicae, operi Patris Tellería non desunt defectus. Affirmare possumus eum qualitates requisitas habuisse ut verus historicus fieret. Dolendum autem est quod occasionem non habuerit modo adaequato ac studiis specialibus sese praeparandi ad talem laborem aggrediendum. Nihilominus P. Tellería modo efficaci partem habuit in studiis circa S. Alfonsum eiusque Institutum faciendis.

In huiusmodi studia fontium P. Tellería incubuit non tantum intuitu biographiae S. Alfonsi scribendae, sed etiam postea. Etenim ultimis annis vitae investigationes suas non intermisit. Bis in anno, tempore verno et autumnali, solebat Napolim se conferre, ubi in archivis labore assiduo documenta exami-

nabat quae materiam ad studia prosequenda ei praeberent. Per plures horas continuas in locis remanebat ubi fontes archivi asservantur; et manu propria textus utiles in schedulis scribebat. Sic postea plura scribere potuit circa ea quae invenerat. Videsis articulos suos in nostro periodico *Spicilegium historicum C.S.S.R.*; fuit enim socius redactionis huius periodici. Elenchum articulorum invenies in fine decimi anni dicti periodici (*Spicilegium histor. C.S.S.R.*, 1962, p. 508-509; ibi iam numerantur 30 articuli). Pro sua parte etiam cooperatus est periodico *Analecta C.S.S.R.*; modo particulari in memoriam revocare volumus ea quae in Analectis publici iuris fecit circa Ven. Sororem Crostarosa. Praeterea quosdam articulos scripsit in aliis periodicis.

Absque dubio P. Tellería materiam satis amplam in suis schedulis conservabat. Et earum ope per plures annos alios articulos, et non paucos, componere intendebat. Ob mortem tamen immaturam opus suum perficere nequivit. Sed quis umquam in vita sua omnia negotia suscepta absolvere potest!



Hisce dictis de opere historico Patris Tellería, quaedam alia e vita sua, praesertim e periodo quam Romae transegit, exponere cupimus.

Apud omnes notus erat ut bonus religiosus, fidelis observantiae cuiusque diei. Parva munera communitatis alacri animo adimplevit. In domo generalitia fuit sub-minister, chronista domus et consultor vice-rectoris per plures annos. Ultra decem annos fuit archivista generalis associatus. Toto tempore commorationis Romae fuit procurator extra-ufficialis Provinciae Hispanicae et Vice-Provinciarum. Tempore quo casus asceticus et alii casus domestici omni hebdomada habebantur, saepe saepius materiae expositio ipsi incumbebat. Munus ministri sacri in officiis solemnibus ecclesiae non raro adimplebat. Semper promptum sese exhibebat ad celebrandas missas hora tardiore, ad homeliam in missa habendam, ad confessiones audiendas praesertim diebus festis aut pervigiliis. Imo, per determinatum tempus una cum duobus aliis patribus domus generalitiae cantum gregorianum et polyphonicum occasione festorum in ecclesia curavit.

Non pauci peregrini, sive sodales Congregationis nostrae sive extranei, eum tamquam duces habuerunt, praesertim in visitandis locis historicis nostri Instituti. Pro eis etiam opusculum scripsit: *Peregrinus Alphonsianus « cicerone » seu duce P. Raym. Tellería (1957, 59 p.)*.

Praeter munera quotidiana et difficultates eis inhaerentes, non defuerunt in vita P. Tellería molestiae animi et corporis, quibus in omni christiano passio Christi adimpletur. Per tempus sat longum gravitatem audiendi passus est, quod magnae paenitentiae ei fuit in vita communitatis ducenda. Generatim loquendo non tam bona valetudine utebatur; ex morte improvisa, hac sua aetate, res satis clare apparuit. Insuper moerores animi ei obveniebant. Quod labores assumpti non semper debito modo diiudicati sint, ei tristitiae fuit. Electus vocalis pro Capitulo Generali anni 1954, sat longum postulatum praeparavit ad viam monstrandam, qua fidelitas Sancto Alfonso in praxim deduci posset. Propositiones suae pro maxima parte reiectae sunt. Dein in aliis circumstantiis, modus agendi, quem ille conformem spiritui Sancti Alfonsi putabat, acceptatus non fuit. Eo sensu studia sua historica etiam ex hac parte dolorem ei dederunt. Ultimo tempore vitae pari modo passus est, videns omnes transmutationes fundamentales mundi hodierni, tam intra quam extra claustra; cum ipse aliam viam procedendi necessariam esse putaret. Attamen angores corporis et animi constanti animo perferebat; et omni die vitae suae magna cum virtute viam quam ceperat, tenere pergebat.

Quidquid sit de modo quo P. Tellería nobis proposuit fidelitatem spiritui Sancti Alfonsi servandam, omnino tenendum est principium fundamentale, quo nitebatur, nempe: periodum primaevam nostri Instituti studiis historicis examinandam esse, ut ex his studiis eruatur modus agendi quem impraesentiarum sequi debemus. Hoc principium, iam diu ab Ecclesia Institutis religiosis propositum, nuper adhuc clare enuntiatur in decreto Concilii Vaticani Secundi de accommodata renovatione vitae religiosae, diei 28 oct. 1965; ac in Motu proprio « Ecclesiae Sanctae » Pauli Pp. VI, diei 6 aug. 1966. Quod ipse P. Tellería huic principio fidelitatem servavit toto tempore vitae suae, et studia sua hac intentione fecit, extra dubium ponendum est.

Itaque finem faciendo, testificari debemus Confratrem nostrum servum bonum et fidelem fuisse. Speramus eum iam vocatum esse in societatem civium supernorum, his verbis Christi: Intra in gaudium Domini tui.